

erexerint. Inde transcendit ad exemplum famosi quondam praeconis Q. Granii et adprime dicacissimi. Quem cum *edicto iustitio*, id est praedicto in re p. tempore, quo nihil ageretur civilium negotiorum, Nasica consul compellavisset obvium sibi forte venientem dixissetque ioculariter: 'Grani, 5 quid tristis es? An quod auctiones reiectae sunt?' — scimus enim praeconibus auctiones fructui esse, quod per eos omnia distrahantur; illo autem iustitio nec ipsae poterant exerceri — huic P. Scipioni e contrario non sine morsu stomachi respondisse Granium dicit: 'Immo ideo 10 tristis sum, quod legationes reiectae sunt.' Voluit autem pudorem Nasicae consulis perstringere hoc amarissimo dicto. Nam legationes ab externis populis missae ad senatum solebant ordinari pro voluntate consulum. Quas plerumque gratia, nonnumquam et accepta pecunia con- 15 sules ordinabant, ut introduci ad senatum possent.

Idem tribuno plebi potentissimo, M. Druso.

Et haec dicacitas praeconis istius non minus urbanitatis habuisse videtur quam asperitatis. Nam M. Livius Drusus, cum multa seditiose in tribunatu suo contra quam 20 esset rei p. utile moliretur, adventantem Granium sic compellavit: 'Grani, quid agis?' Ad hoc ille isdem verbis, sed cum magna asperitate respondit: 'Immo tu, Druse, quid agis?' hoc est: quae et quam periculosa et quam patriae metuenda conaris? 25

Nunc usque eo est oppressa nostra adrogantia civitas.

... factum est ita pronuntiando: *nostra adrogantia*, quoniam si vestra adrogantia vel quorundam superbia dixisset non adfingendo sermoni suam socie- 30 tatem aliquid offensae apud quosdam praepotentis contrahere potuisset.